MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS III)

Heiligenkreuz, 1183/1200

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30296
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

nant: ut orationibus paste sint. et erudite et illuminate vigiliis, opus gratie virginalis exerceant. His virtutum armis has famulas tuas interius exteriusque premuniens, presta eas inoffensum cursum virginitatis inplere per ihesum christum dominum nostrum, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Cumque omnes respondissent amen, et misteriis domini celebratis missas accepissent, et unusquisque ad domum propriam remearet, matheum apostolum suum christus in ecclesia retinuit: ut iuxta altare ubi corpus ab eo christi fuerat confectum, ibi ille martyrium apostolicum susciperet. Nam expansis manibus speculator missus ab hyrtaco a tergo punctim ictu gladii feriens, apostolum domini christi martirem fecit. Quo audito omnis populus ad palacium cum igne currebat. Cui furenti populo occurrunt omnes presbyteri et diacones et clerici, et omnes religiosi viri simul cum discipulis mathei apostoli dicentes. Nolite fratres contra preceptum domini agere. Nam et petrus apostolus arrepto gladio amputavit aurem cuidam malcho, qui dominum tenebat cum suis perditis. et ne videretur Iesus vicem rependere lesionis, iussit ipsam auriculam loco suo reponi. Et dixit dominus petro. Nunquid si vellem non mihi exhiberet pater meus plusquam xii. legiones angelorum? Celebremus ergo omnes cum gaudio martirium apostoli, et quod deus ordinare voluerit expectemus. Eufigenia autem sacratissima virgo christi quicquid in auro et argento et gemmis habere potuit, omnia contulit sacerdotibus et omni clero dicens. Postea quam dignam apostolo christi fabricaveritis basilicam, quicquid superfuerit pauperibus erogate. Me autem oportet certamen habere cum hyrtaco. Factum est autem post hec secundum verbum eufigenie omnium nobilium uxores misit ad eam: sperans quod aliqua ratione posset ad eius pervenire consortium. Convocavit etiam magos ut demonum illam ministerio raperet. Quod cum nulla ratione possent facere, fecit igne circumdari pretorium in quo cum matribus christi die nocteque famulatum domino exhibebat. Sed cum per circuitum ignis arderet, apparuit angelus domini cum matheo apostolo et dixit. Eufigenia firma esto et noli expavescere hos ignes. ad illum enim a quo tibi sunt parati revertentur. Igitur cum per gyrum pretorii sancte eufigenie flamme perstreperent, excitavit dominus ventum validissimum. et mundavit omne illud incendium a domo virginis sue. et ita consumpsit palatium hyrtaci, ut non inde potuerit aliquid ex facultatibus eius liberari. Ipse autem hyrtacus cum unico filio suo vix evasit: sed melius illi fuerat incendio interire. Nam filium eius vehementissimum demonium invasit. Qui cursu velocissimo ad apostoli mathei sepulchrum adducens, a tergo manibus ab ipso diabolo colligatis, confiteri cum paterna crimina fecit. Ipsum autem hyrtacum elephantie vulnere percussit a capite usque ad ultima pedum vestigia. Qui cum curare non possent medici, ipse gladio incubuit, ut quia a tergo apostolum domini percusserat, ipse arrepto se ipsum stomacho perforaret. Omnis autem populus insultans morti eius, comprehendit cum omni exercitu fratrem eufigenie nomine beor, qui de manu mathei apostoli dei gratiam fuerat consecutus. Hic cum esset iuvenis vicesimo quinto anno cepit regnare. et regnavit annos sexaginta tres. et se vivente constituit filium suum ducem omnium exercituum. et vidit filios filiorum usque in quartam generationem. et habuit pacem firmissimam cum romanis et persis. Omnes autem provincie ethiopum ecclesiis replete katholicis usque in hodiernum diem per eufigeniam benedicunt dominum. et fiunt mirabilia magna ad confessionem beati mathei apostoli, qui primus hebreo sermone scripsit evangelium. Zaroes autem et arfaxat illi duo magi. ab ea hora qua beatus matheus apostolus suscitavit filium regis, fugientes ab ethiopia in persidam devoluti sunt. ibi nichil omnino peiora facientes. Missi sunt ad persidam sancti duo apostoli iudas zelotes et symon chananeus. Sed qualiter cum eis confluxerint, sequens libellus ostendit.

F. x. K. Octobris. Passio sancti Mauricii et sociorum eius.

SANCTORUM passionem martyrum qui agaunensium locum glorioso sanguine illustrant, pro honore gestorum stilo explicamus. ea utique fide qua ad nos martirii ordo pervenit. Nam per succedentium relationem rei geste memoriam nondum intercepit oblivio. Et si pro martiribus singulis loca singula que eos possident, vel singule urbes insignes habentur, nec inmerito, quia pro deo summo preciosas sancti animas refundunt: quanta excolendus est reverentia sacer ille agaunensium locus, in quo tot pro christo martirum milia ferro cesa referuntur. Nunc iam ipsam beatissime passionis causam loquamur. Tempore illo diocletianus quondam romane rei publice princeps. cum ad imperium totius orbis fuisset electus, omnesque provincias turbari quorundam presumptione perspiceret, ad consortium imperii vel laboris olim sibi commilitonem herculium maximianum cesarem fecit. Eumque contra amandum et helianum qui in bagaudarum nomen presumptione servili arma commoverant, ad gallias destinavit. Cui ad supplementum exercitus legionem thebeorum ex orientalibus militibus dedit. Que legio sex milia sexcentos sexaginta sex viros validos omnes et instructos armis antiquorum romanorum habebat exemplo. Hii ergo milites christiane religionis ritum orientali traditione susceperant a ierosolimitano episcopo. fidemque sacre virtutem armis omnibus preponebant. Urbem quippe romanam itinere attingentes eandem christianitatis fidem quam acceperant apud beatum marcellum predicte romane urbis pontificem confirmantes, ut ante gladio interirent quam sacram fidem quam acceperant violarent. Recepti ergo a diocletiano cesare. datis armis iubentur ut post maximianum collegam itinere gallias tenderent. Maximianus ergo cesar usu quidem milicie aptus, sed idolorum specialis cultor: ferus animo, avaricia anxius, opere crudelis, libidini deditus, ceterisque viciis

[illegible] vita [illegible] habes In primo volumine in fine Februarij